



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De creatione angelorum. xl.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

cepto diuino, ita penè deputatio, causa est peccati perpetratio, & postea pro peccato nulla digna satisfactio.

*Item de prædestinatione. Cap. XXXVIII.*

*Ex dictis Ambro.* **E**T Scriptura dicit: Considera opera domini: quia non potest corrigere, quem ille despexerit.

*Item de prædestinatione. Cap. XXXIX.*

*Ex dictis August.* **N**EMO qui bene credit in Deum, dubitat præscientia illius cælum, terramq; contineri, mundumq; providentia diuina regi. Et sicut nihil latet sapientiam eius, ita dispositio illius vniuersa moderatur & regit. Sic enim nulla est creatura occulta, in conspectu illius.

*De creatione angelorum. Cap. XL.*

*Idem.* **I**N principio creauit Deus cælum & terram, & aquam ex nihilo, & cum aquam ipsam adhuc tenebre occultarent, & aquam terra absconderet, facti sunt angeli, & omnes cœlestes virtutes, vt nō esset ociosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spacia bonitatem suam ostenderet: & ita hic visibilis mūdus ex his quæ creata fuerant, factus est, & ornatus.

*Quòd nihil sit incorporeum, & inuisibile præter solum Deum. Cap. XLI.*

*Idem.* **N**ihil incorporeum, & inuisibile in natura credendum, nisi solum Deum. Qui ideo incorporeus creditur: quia vbique est, & omnia implet, atq; constringit. Ideo inuisibilis omnibus creaturis est, quia incorporeus est.

*Quòd omnis creatura sit corporea. Cap. XLII.*

*Idem.* **C**reatura omnis corporea, Angeli, & omnes cœlestes virtutes corporeæ, licet non carne subsistant. Ideo autem corporeas esse credimus intellectuales naturas, quoniam localiter circumscribuntur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur, & dæmones qui substantia angelicæ naturæ sunt.

*Quòd omnes intellectuales naturæ immortales sint. Cap. XLIII.*

*Idem.* **I**mmortales esse credimus intellectuales naturas, quæ carne carent, nec habent quod cadat, vt resurrectione egeat post ruinam.